Adultus autem multa illius terrae miracula inspexit, inter quae montem perforatum, ultra quem incolae dicebant thesauros Octaviani reconditos, ferebantque multos periisse quaerendo illos per subterraneos anfractus. Hic autem adolescens studio videndi et praedandi XII comites habuit, qui secum pergerent portantes ingens glomum fili, sequentes ingenium Daedali, qui Theseum de labyrintho per filum eduxit. Igitur paxillum in ingressu fixerunt, principio fili ad eum ligato, accensis laternis intro perrexerunt, et per unum quodque milliarium paxillum fixerunt, vespertiliones vero de cavernis egredientes oculos et ora infestabant. Semita erat arcta, et a laeva praecipitium et supterlabens fluvius; viderunt tramitem plenum cadaveribus eorum, qui thesauros ibi quaerendo perierant. Tandem ad gressum ulteriorem pervenientes viderunt stagnum placidum et pontem aereum, et ultra pontem videbantur mirae magnitudinis equi aurei, cum sessoriis aureis, et omnia erant aurea. Unus eorum dum pontem transire parat, mox pontis pede depresso alter elevatus produxit rusticum aereum, cum aereo malleo, quo ille undas verberans ita obnubilavit aëra, ut diem coelumque subtexeret; retracto pede pax fuit. Tentatum est idem a pluribus, idemque expertum. Desperantes solo visu libabant aurum, tunc per vestigia glomeris egressi pateram argenteam repererunt, quam inter se partiti sunt. Postero die magistrum adierunt, qui dicebatur nomen Dei ineffabile scire, qui duxit illos prius ad fontem, de quo hausta aqua in phiala argentea tacens litteris signabat, donec illi oculis intellexerunt, quod fari nequibant: tunc ad montem fiducialiter accesserunt, sed exitum ulteriorem, puto a Daemonibus observatum, invenerunt, invidentibus scilicet nomini Domini, cujus tanta virtus inesse dicitur, ut nulla ei magia nec mathesis obsistere possit. Auctor tamen credit, praefatum magistrum non nomen Dei sed daemonis aquae inscripsisse, sicut legitur de canibus Mago in historia S. Sylvest. Audiens quidam Judaeus, quae dicta sunt, qui nigromanticus erat, dixit adolescenti: defecisti in arte, videsis quantum possit ars mea; qui incunctanter montem introiens non multo post egressus est, multa afferens ad indicium sui transitus, quae ille ultra montem notaverat, inter quae et pulverem locupletissimum, qui quidquid contigerat, in aurum vertebat, non quod ita pro vero esset, sed quod ita videretur, quoad usque aqua dilueretur: nihil enim, quod per

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;